



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Nisi libertas in homine esset, merita non essent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

ab eo gubernatis. Primò quidem quia providentia non est naturam gubernatorum tollere, sed saluare. Requirit autem hoc perfectio uniuersi, ut sint quaedam, in quibus malum non possit accidere; quaedam verò, quae defectum mali pati possint secundum suam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus providentiâ diuinâ; non regerentur res secundum earum naturam: quod esset maior defectus, quàm singulares defectus, qui tollerentur. Hæc S. Thomas.

At videamus, quid sit regere res, secundum earum naturam, præsertim hominem, cuius natura exigit arbitrij libertatem, quæ quia valde conuenit homini bonum & malum discriminanti, sine violentia non adimeretur. Et si adimeretur, perirent merita, perirent præmia. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Equis & alijs iumentis non damus mercedem, non enim sponte, sed coactè laborant. Possent peccare, & non peccare, hoc est gloriosum. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illis quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Virtutes exigi ab homine, nemo negat. Atqui in hoc rerum statu, si vitia non essent, neque virtutes essent.

Quod Laëtantius ex affectibus hominum, qui naturales, non voluntarij sunt, contra Stoicos ita demonstrat. Peripatetici rectius, qui tunc omnia detrabi negant posse, quia nobiscum simul nata sunt; & conantur ostendere, quam prouidenter, & quam necessario Deus, sine natura (sic enim dicunt) his nos armavit affectibus, quos tamen quia vitiosi, plerumque sunt, si nimij sint, posse ab homine adhibito modo salubriter temperari, ut tantum homini, quantum natura satia est, relinquatur. Non insipiens disputatio, si ut dixi, non ad hanc vitam omnia referrentur. Stoici ergo furiosi, qui ea non temperant, sed abscindunt; rebusq; à natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. Quod tale est, quale si velint aut metum detrabere cervis, aut venenum anguib; aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ singula mutis animalibus data sunt, ea verò uniuersa homini simul. Quod si ut medici dicunt, lætitiæ affectus in splene est, ira in felle, libidinis in icore, timoris in corde; facilius est interficere animal ipsum, quàm

V.

Eccli. 31. 10.

Eccli. 35. 17.

VI.

L. Cælius Laëtant. lib. 6. diuin. Institut. cap. 36.